

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Opulentia tyranni, papuertas subiectorum. Emblema CXLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Opulentia tyranni, paupertas subiectorum .

EMBLEMA CXLVII.



HVMANI quod splen est corporis, in populi re
 Hoc Caesar fiscum dixerat esse suum.
 Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artus;
 Fisco aucto, arguitur cinica pauperies.

COMMENTARI.

- I. **I**ACET æger nudus lecto innixus, cui abdomen circa hypochondria in magnam tumorem elatum effingitur, reliquis membris tabidis & emaciatiss: licet hic noster pinguisculus appareat, fortè à pictore solo benè habitus.
- II. Hoc fuit Traiani Casaris apophthegma, quod Eutropius & Sextus Aurelius Victor in Constantii seu Iuliani vita ita referunt: Pompeia Plotina, incredibile dictum est, quantum auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cum calumniis prouincias agitarèt, adèd vt vnus ex iis diceretur locupietum quemque ita conuenire, Quæ habes? vnde habes? Hæc vbi didicerat addebat tertium, Pone quod habes. Illa coniugem corripuit, atq; increpans, quod gloriæ suæ esset incuriosus. talem postea reddidit, vt exactiones improbas detestans, fiscum licentem vocaret, quòd eo crescente re

Rr 2 liqui

liqui artus tabescant. Idem inuenies lib. 8. Apophthegm. in Traiano; & apud Alciati lib. 8. Parerg. cap. 6. Huius autem rei rationem reddit Aristoteles in Problemat. quod splen multam ad se trahat materiam, quae cedere debebat in alimentum. Constat enim, ait ille, homines parui splenis pingues effici. Idem quoque sentire videtur 3. de part. anim. Lien, inquit, vapores vacantes ducit & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos potest, ut qui sanguineus sit: quod si plus excrementi adfuerit, parumque insit lieni caloris, corpus immodico languescit alimento, & humoris confluio fit, ut lienosus quis euadat, & obdurescat ventris. Hoc autem morbo affecti splenici seu lienosi dicuntur, quales ut plurimum sunt Caunii in terra Caria prope Rhodum. Vnde illud Stratonici citharædi scemma apud Strabonem, qui illos intus colore admodum viridi, dixit, hoc illud esse, quod poeta Homerus cecinisset:

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.

Cumque illum incusarent, quod urbem ut morbidam carperet: Ego, inquit, eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulat?

HYMANI quod splen quod splen est in corpore, hoc fiscus in re populi. Splen autem viscus est in sinistra animalis parte, succos ad se attrahens crassos & melancholicos in hepate genitos. Latini lienem vocant, de quo Galenus lib. 4. de usu part. c. 15. & passim Anatomici.

Cæsar Traianus.

Fiscum Fiscus, receptaculum nummorum est, proprieque principis, l. i. §. hoc interdicitum. ff. ne quid in loco publ. Res fiscales, ait Vlpian. quasi propriæ & priuati principis sunt: à fisco, id est, sportulis, ut apud Alconium 2. Verrina, quæ nummorum receptacula sunt ad maioris summe pecunias capiendas. Hinc *confiscare* desumptum verbum, pro deferre ad fiscum principis. Et apud Sueton. in Augusto, confiscata bona, quæ fisco sunt adiudicata. *Ærarium* verò publicum est, populique Romani, quod Plinius Iunior testatur in pænegyrico: Non eadem, inquit, seueritate fiscum, quæ ærarium cohibes. Vnde patet differentia inter fiscum & ærarium; siquidem ad fiscum spectare videntur extraordinarii redditus: hinc confiscationes recedentibus nuncupatæ. *Ærarium* verò Roma-

num tributis constabat & vectigalibus. *Splene aucto* intumescente, factio tumidiore ex imbibito succo melancholico.

Tabescunt corporis artus cætera corporis membra tabida fiunt. Artus proprie sunt partès corporis inter iuncturas connexa, sic dicta, quod inter se arcentur: vnde minores artus per diminutionem articulos vocamus, quales sunt digitorum. Hinc *de artuo* verbum, quod est per artus quido. Quidam à Græco ἀρθρον deductum volunt: & distinguuntur artus & membra, quod artus dicimus ossa cum neruis & venis; membra autem proprie vocantur carnem artus regentem. Interim sæpe hæc duo inter se confunduntur. Anatomicis artus sunt membra ex corporis trunco explantata, ut sunt manus & pedes, Græcis vocantur κῶλα.

Arguitur ciuica pauperies argumento est populi, rei que publicæ exetæ & communitæ paupertas.

SIMILITVDINE ostendit opulentiam tyranni causam esse subditorum morbi. Vt enim in corpore humano si splen sit auctior & tumidiore, tabem & maciem cæteris partibus inducit: sic magno certè regni & Reipubl. malo Princeps auarique nascitur, cui nimirum census publici, & vectigalia plus æquo placeant. Quo fit, ut miserima plebecula cogatur ad egestatè & extremam pauperiem, cum tyrannus in suorum possessionem violenter irruit, eorumque pecuniam depeculatur. Certant à doctus illud Tiberij celebratum est: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Quo damnabat tyrannos illos δημοβόρος, qui suis abradunt quicquid possunt, & sic importunitis in fiscum itum couertunt, ut à misera plebecula nõ pellant modò, sed & carnes ipsas detractas velint. Eadem sententiam, sed aliis verbis expressam ab Alexandro Macedone, literis proditam habemus. Huic enim cum disphæret exactiones, eorumque potissimum, qui à subditis ampliores vectigalium redditus, quam per fortunam hominum liceret, extorquebant, apud suos dicebat, κητῶν ἐν μισῶ τὴν ἰατρικὴν ἰατρικόντα τὰ λάγνα. *Oliorem odi qui radicibus herbas conellidit*, atque ab ima stirpe arbores excidit. Attaxerxes Longimanus dicebat, Addere quam auferre, magis esse regium. Prolemaeus Lagi filius, Dicare quam ditem esse, conuenient.

Ubi liene aucto ca- tera me- bra des- piciat.

Stratonici scemma.

III. Splen.

Fiscus quid.

Fisci & ærarij differentia.

Artus.

IV. Lienis of- ficium.

Tiberij di- ctum.

miētius Principi, Malum illud Vespasiani, Lucri bonus est odor ex re qualibet. Con- stās Imperator Romanus dicebat opes pub- licas melius à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum Principis claustrum re- seruari. Nec alienum est ab eo, quod Ni- coclem scripsit Iocrates: σημείον ἔστω, in- quit, σοι τοῦ καλοῦ βασιλευέν, ἰὰν τὸς ἀσχομήνης ὄρας ἐν πορῶσις ἢ σαφρονέσι ρους γινομένης: διὰ τὴν σὴν ἐπιμέλειαν. *Argumentum hoc tibi sit imperij recte con- steque administrari, ubi uideris eos, quibus pates, tua diligentia curaque locupletiores Et ditiores factos.* Sed ad illustrandum id argumētum, cōferre placet alia quædam. Theodoricus scribens ad Marcellum Ad- uocatum fisci, apud Cassiodor. Variar. lib. 1. Epist. 22. Non quoties superes, ait, sed quemadmodum viacas inquitimus: non quaras de potestate nostra, sed de iure vi- ctoria; quādo laudabilius à parte fisci per- ditur, cūm iustitia non habetur. Nam si dominus vincat, oppressionis inuidia est: equitas verò creditur, si supplicem supera- re contingat. Et lib. 4. Epist. 37. Crementa fiscalium tributorum iustissimo sunt pen- sanda iudicio: quia seruētum imminutio est huus illationis accessio, quantumque pars illa proficit, tantum se hæc à firmata- re subducit. Sed à nobis, qui fisci utilitatē stabili volumus diuturnitate cōsistere, ex- cludenda est dispendiosa semper enormi- tas, ne augmētō suo tumens summa defi- ciat, incipiatque magis deesse, quia immu- niter visa est accreuisse. Rectè itaque. Item Cassiod. lib. 1. Fit interdum causa mala fi- sci, ut bonus Princeps esse videatur. Rarò enim (ut eiusdem, Cassiodori verbis utar) vtrumque sub admiratione perfectum est, ut & fiscus cresceret, & priuata utilitas nul- la damna perferret. Ex Alciati lib. Parer- gō 8. c. nota hæc Pliniana ex Panegy- rico ad Traianum: Quæ præcipua tua glo- ria est, sæpè vincitur silens: cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Princi- pe. Benè Iuriconsultus in l. nō puto, ff. de iure fisci: Nō puto eā delinquere, qui in du- biis questionibus contra fisci facile respo- det. Certè iuris auctores vix fisci cōpēdijs indulserunt, ut neq; principes boni. In Au- thent. ut iud. fin. quoq; suffrag. Expedit

re publicæ subditos esse locupletes: & im- perium fiscusq; abundabit, si subditos ha- buerit fortunatos. Lucem quoq; dat huic argumento tyrannicæ rapacitatis locus quidam obuius ex Ammiano Marcellino, ubi auarā seuitiam Valentiniani exagi- tat: Auiditas plus habendi, inquit, sine ho- nesti prauiq; differentia, & indagādi que- stus varios per alieng vitæ naufragia, exun- dauit in hoc principe, flagrantius adole- scens: quàm quidam, prætendentes Imper- ratorem Aurelianum, purgare tentabant, id affirmando, quod ut ille post Gallienū, & lamentabiles Reipub. casus exinuito æ- ratio, torrentis ritu ferebatur in diuites ita hic quoque post procinctus Parthici cla- des magnitudine indigens impensarum ut militi supplementa suppetere, & impen- dium, crudelitati cupiditatem opes nimias cōgerendi miscebat: dissimulās scire quod sunt aliqua que fieri non oporteat, etiamsi licet: Themistocles illius dissimilis, qui cū post pugnam, agminaq; deleta Persarum, licentèr obambulans armillas aureas vidif- set humi proiectar, & torquem: Tolle, in- quit, hæc (ad comitem quandam propè a- stantem) tu qui Themistocles non es: non quodlibet probās in duce magnanimo lu- crum. Huus exempla continentia in Ro- mans exuberant succibus: quibus omisiss, quoniam non sunt perfectæ virtutis indi- cia (nec enim aliena non rapere laudis est) vnum ex multis constans innocentia vul- gi veteris specimen ponam. Cū per scri- ptorum locupletes domos diripiendas Ro- mana plebi Marius dedisset & Citina, vul- gi rudes animi & humana soliti respecta- re, alienis laboribus pepercerunt: ut nullus egens reperiret aut infimus, qui de ciui- li luctu fructum contrectare pateretur si- bi concessum. Hactenus Ammian. Apud Cassiodorum epistola est Theodorici Go- thorum regis ad Senatū vrb. Rom. qua Venantium laudat honore donatum Co- mitiuz, moxque præfectum pratorio, qui sic principis fisco consuluit, ut nihil priua- tis videretur officisse. Sēsimus auctas illa- tiones, inquit, vos addita tributa nescitis. Ita vtrumque magnæ fuit admirationis, quod fiscus cresceret, & priuata utilitas nulla damna perferret.

Valenti-
niani a-
uaritia
nimia

Themisto-
cles ani-
mus mo-
deratus

Romani
continue-
runt ma-
nus à bo-
nis pro-
scriptorū
ciuilib
bulli tem-
pore

Locus præ-
clarus è
Cassiodo-
ro.